Observationes bryologicae

a

C. F. Schultz, M. Dr.

Particula altera.

(vid. Syllog. bot. T. II. p. 119.)

Orthotrichum Hedw.

Genus hocce his temporibus quidem multis speciebus novis sic dictis ditatum est, haud paucae vero earum, utpote ambiguae nimisque inter se cognatae visae, scrupulosiori examine et comparatione indigere videntur, ne nimis levibus atque suspectis speciebus pulcherrimam genus obruatur ruatque mole sua. Cum autem species ejusdem in statu sicco vel emollito ob peristomiorum laesionem facillimam difficillime perquirantur, nec sufficiens speciminum copia ad manus sit, audacter judicium ferre nolo, ideoque nonnullas tantum annotationes praevie adiicio.

Orthotrichum Ludwigii Schwaegr. Spec. Muscor. Suppl. I. sect. II. 24. t. 51.

A pulcherrima hac specie non diversum censeo *O. clausum Hornsch. Mspt.*, cujus specimina benevole communicavit amiciss. *Laurer*, quaeque omnibus, vel minimis partibus cum dicta specie exacte congruunt.

Orthotrichum Bruchii Hornsch. Mspt. et O. tortile Bruch., cujus specimina Cel. *Hoppe* humane condonavit, identica habeo; non differt hoc ab illo nisi colore nigricante, foliis paulo brevioribus et capsula tenuiore. Uterque muscus quidem

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

ab O. *Ludwigii* optime distinguitur capsula oblonga octo-costata ore ampla; at hoc ipso charactere magis contra appropinquatur *O. crispo H.*, quod scilicet capsulae foliorumque figura valde variat. Non itaque perspicio quomodo ab hoc specifice distinguerem *O. crispulum Bruch.*, cujus quidem *operculata* ore paululum contractior videtur et brevior ac ventricosior est illa *O. crispi*, *deoperculata* autem aeque hiante ore est ac illae proxime praecedentium, et provectiore aetate ita elongatur capsula, ut ex urceolata in clavatam sub ore constrictam tandem abeat; imo in eodem cespite vel surculo utriusque formae capsulas haud raro habebis. *O. crispum* vegetius foliis quidem gaudet basi paulo latioribus longioribus ideoque subflexuosis; haec autem in diversis cespitibus diversimode variant nec quid stabilis relinquunt.

Vereor itaque ut nominatae tres species, *O. Bruchii*, *tortile* et *crispulum* ab *O. crispo* specie non diversae sint.

Orthotrichum Sturmii Hopp. et Hornsch. (Bot. Zeitung 1819. p. 89. Bridel. Muscol. univers. I. 277.)

Illustr. *Bridelius* hanc speciem cum *O. rupestri* et *saxatili* comparavit, quibuscum vix unquam confundi poterit, ab *illo* peristomio simplici, ab *hoc* capsula immersa distinctum; multo magis propinquum autem est *O. cupulato* Hoffm. (*Schwaegr.* l. c. 35. t. 55.) abs quo vix differt nisi caule repetita innovatione elongato robustiore et calyptra pilosa; num haec sufficiant ad speciem confirmandam,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0498-0

dijudicent Cel. Autores. Peristomii dentes perforati utrique solennes sunt, quod probat icon citata; attamen moneo *O. cupulat. Fl. Stargard.*, ceteroquin duplo minus illo, plerumque dentibus integris, linea longitudinali quidem exaratis, sed rarius perforatis ludere.

Webera Hedw. Schwaegr. l. c. 67.

Webera nutans Hedw. Schwaegr. l. c. p. 67.

Valde variat haec species caulis magnitudine, capsulae figura et praesertim pedunculi longitudine, quippe qui in nostra flora ab unguiculari ad biuncialem vel majorem longitudinem variat. Dubius itaque haereo an *Webera longiseta Bridel.* (Muscol. univers. I. 636.) vere diversa et genuina species sit, quae in sphagnetis paludosis Fl. Stargard. quoque occurrit, quaeque capsula breviore ventricosiore microstoma et statura grandiore omnino quodam modo movet atque distingui potest.

Webera intermedia Schwaegr. l. c. 67. t. 75.

W. caule subramoso, foliis oblongo-ovatis acuminatis margine incrassatis apice serrulatis solidinerviis erecto-patulis, capsula inaequali elongate pyriformi nutante, operculo conico mammillato.

β. *aristata*, foliis nervo excurrente longissime cuspidatis subintegerrimis, capsula subaequali elongate pyriformi subpendula, operculo conico acuto.

Bryum pallescens Schultz Fl. Starg. Suppl. 85.

Schwaegr. l. c. p. 107. *t.* 75.?

Habitat in praeruptis umbros. scaturiginos. et muris uliginos β. in udis arenosis.

Webera intermedia, plerumque uliginosa um-

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

brosa inhabitans, colore atroviridi est, caules elongati unciales et longiores, folia laxa patentia nervo brevissime cuspidata remote serrata sunt, et capsulae inaequales basi longe attenuatae in pedunculum abeunt. A tali musco diversam olim censui stirpem quae colore pallido, foliis nervo excurrente longissime cuspidatis et capsula subaequali gaudet et iconi *Br. pallescentis* exacte quadrat; postquam vero utrasque stirpes diversis locis collectas comparavi easque foliis plus minus longe cuspidatis variantes vidi, muscum meum non nisi *W. intermediae* varietatem aestimo, insimul autem totum quantum Br. *pallescens Schl.* suspectum habeo. Quae hoc nomine Autor ipse divulgavit specimina, ad iconem *Schwaegrichenianam* minime quadrant: sunt illa duplo minora, folia habent erecta stricta colore straminea et capsulas aequales pyriformes omnino pendulas, ut paucis dicam, non diversa sunt a *Br. cespiticio*, quocum et alia aliunde allata *Br. pallescentis* exempla exacte congruunt.

Webera alpina Hopp. et Hornsch. (Bot. Zeitung 1819. p. 104.)

Hujus musci nonnulla specimina perquisivi, at cilia inter peristomii interioris dentes nulla invenire valui; an ita varians sit muscus? an *Pohliae* generis potius existimandus? habitus omnino suadet.

Pohlia Hedw.

Numerosae hujus generis species novae, quas V. V. C. C. *Hoppe* et *Hornschuch* divulgarunt, (Bot. Zeit. 1819. p. 91. sequ.) pulchram quidem et instructivam variationum seriem sistunt, sed

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0500-5

quo modo specie rite distinguantur et definitionibus arcte limitentur, plane non perspicitur. Diagnoses loc. cit. datae vix nisi characteres relativos, e diverso vegetationis aetatisve statu, vel loci natalis diversitate oriundos exhibere, unusquisque facile concedet; his autem species nec rite distingui nec a Bryologis recognosci posse, aeque clare elucet. Placeat itaque Celeberr. Autoribus ut suas species vel certis characteribus definiant atque confirment si fieri possit, vel plurimas ad unam alteramve stabiliorem reducant sicque specierum conspectum facilitando amabilis scientiae studium vere promoveant.

Pohlia inclinata Swartz Musc. suec. p. 45. t. 5. f. 11. Schwaegr. l. c. p. 73. t. 63.

Weberus et *Mohr* (Crypt. germ. p. 482.) hanc speciem a *Web. intermed.* non distinguunt et ipsum *Schwaegrichenium* jam haesitantem vides; e speciminibus megapolitanis tamen, quae exacte respondent *Swartzii* descriptioni et iconi, de ambarum differentia vix dubitare licet; distinguitur autem nostra, praeter peristomium interius aegerrime perquirendum, foliis ovatis longe cuspidatis integerrimis, capsula subgloboso pyriformi aequali subpendula, operculo convexo apiculato. Folia ceterum breviora latiora, cellulae subrotundae conspicuae, pedunculi tenuiores flexuosi sunt et capsula basi minus elongata apice ventricosior subglobosa est, ut fere illam *Bryi pyriformis* aemuletur, cujus quoque et colorem et nitorem habet.

Pohlia stricta S.

P. caule brevi subsimplici, foliis oblongo-lanceola-

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

tis acuminatis nervo cuspidatis subintegerrimis strictis erectis, capsula oblonga obliqua basi attenuata pendula, operculo depresso-conico apiculato.

Habit. in udis graminosis arena suffusis prope Neobrandenburg. Julio c. caps. opercul.

Haec species primo intuitu *Web. intermediae* propinqua videtur, recedit autem habitu omnium partium stricto, foliis angustioribus erectis opacis, capsula oblonga, nec pyriformi nec basi ita elongata, omnino pendula fereque pedunculo adpressa, peristomio demum interno, quod omnino *Pohliae* est. Dentes peristomii externi amoene rufi inter peristomii interni dentes plerumque deflexi sunt, ut hac ipsa ratione cilia intermedia locum habere nequeant. Hoc fortasse de omnibus genuinis *Pohliae* speciebus valet, cum e *Schwaegrichenio* deflexus ille dentium externorum inter internos *Pohliarum* mos sit.

Meesia Willd.

Meesia minor Brid. Muscol. Rec. II. p. 3. p. 168. t. 2. f. 13.

Quoad specimina mecum communicata haec stirps non nisi statura omnibus rationibus minore differt a *M. uliginosa;* folia paulo rigidiora strictiora erectiuscula quidem sunt, de ceteris autem aeque obtusa apiceque rotundata ac in illa, cujus itaque *varietas minor* jure habenda est, operculum centro depressum, quod jam in Fl. Stargard. monui, omnibus speciebus commune est.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0502-6

Meesia alpina Funck Mspt.

M. caule ramoso, foliis lineari-lanceolatis acuminatis canaliculatis erectis strictis apice erosis, capsula obovata gibbosa curvata, operculo conico truncato.

Habitat in paludosis alpinis et depressis Germaniae.

Cum hanc speciem, quae omnino distincta mihi videtur, ullibi descriptam nescirem, eam definire tentavi, salvo tamen Clar. autoris consilio. Speciminibus genuinis, quae amiciss. *Laurer* communicavit, exacte respondent alia, quae a Nobiliss. *Oertzenio* prope Clagenfurth ad Ebenthal lecta et mecum *M. uliginosae* nomine communicata sunt; hanc autem sic definiendam censeo: *M. uliginosa*, caule ramoso, foliis lingulatis obtusis planiusculis subflexuosis apice denticulatis patulis, capsula elongata obovata erectiuscula, operculo conico truncato.

Cel. *Funckius*, qui tot novis et genuinis speciebus jam muscorum agmen adauxit, nuperius etiam a *M. longiseta Hedw.* muscum sejunxit pulcherrimum et, ni graviter fallar, distinctissimum, cujus specimina Clariss. *Laurer* benevole condonavit; haud leviter autem gavisus sum hunc ipsum muscum et in collectione mea invenisse et Florae nostrae civem scivisse. Utrique musci statura et magnitudine simillimi sunt et seta praelonga gaudent; his commotus videtur *Funckius* ut antiquam *Hedwigii* denominationem mutaverit; cum autem *M. tristicha* F. sine ulla dubitatione ipsissima

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0503-2

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Hedwigii et Veterum stirps sit, nomen illud conservandum duco et muscos sic definio:

Meesia longiseta Hedw.

M. caule ramoso, foliis tristichis cordato-lanceolatis denticulatis subundulatis recurvo-patentibus, nervo subexcurrente, *M. tristicha Funck.*

Meesia hexasticha Funck.

M. caule ramoso, foliis subhexastichis ovato-lanceolatis subintegerrimis erecto-patentibus, nervo evanescente.

Habitat in paludos. turfos. prope Neu-Strelitz ubi officiosiss. *Beuthe* legit et pro *M. uliginosa* communicavit. Junio c. caps. operc.

Meesia demissa Hopp. et *Hornsch.*

M. caule ramoso, foliis oblongis, capsula pendula pyriformi, operculo hemisphaerico umbonato. Bot. Zeit. 1819. p. 106.

Muscus, cujus specimina Celeberr. autoribus debeo, quam maxime singularis est; statura pygmaea et capsula valida repugnantis vel inproportionati quid exprimens. Quod hujus generis sit stirps, interim fidendum est, habitu quamvis dissuadente, cum operculum arte solvere frustra tentarim. Caulis brevissimus ob exiguitatem vix ramosus dici potest; ex imá caulis basi tamen propagines crebre pullulant brevissimae, foliis arcte imbricatis quasi bulbiformes; folia ovata acuminata concava, nervo crasso purpureo carinata eoque excurrente longe cuspidata, cuspide flexuosa integerrima laete viridia vel rubedine variegata pellucida, cellulis oblongis vel rhombeis; pedunculus 3-4 linearis validus subcar-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0504-8

nosus purpureus, superne uncinate arcuatus; capsula dilute purpurea respectu magna elongate pyriformis omnino pendula obliqua subarcuata, ita ut operculum conicum apiculatum fere sursum spectet.

Timmia Hedw.

Timmia austriaca Hedw. Spec. Muscor. posth. p. 176. t. 42.

Quo modo ab hac specie distinguerem vel *T. salisburgensem Hoppii*, vel *T. alpinam Laurer*, a Celeberr. autoribus humane communicatas, plane non perspicio; *haec* tantummodo foliis rigidioribus magisque margine involutis differre videtur, *illa* foliis planiusculis neque basi perspicue latioribus *T. megapolitanae* propinquior est; ceterum neque capsulae, neque opercula, nec vel peristomia quid distincti offerunt, ut ideo memoratas tres species non diversas censeam; at tamen si erraverim, Clariss. autores humane meliora me doceant.

Bryum Schreb.

Bryum julaceum Schrad. Spicil. fl. germ. p. 70. n. 2. Br. argenteum β. Autor. plurium.

Equidem haud intelligo qua ratione Bryologorum nonnulli huic musco speciei dignitatem detractent, quam aliis longe magis ambiguis atque suspectis speciebus quam liberalissime concedunt. E speciminibus, quae Ipsi Illustriss. *Schradero* debeo, *Br. julaceum* ab *argenteo* vere diversum habeo et stirpes utrasque sic definiendas censeo:

Br. julaceum, caulibus subramosis clavatis erectis, foliis subrotundo-ovatis obtusiusculis con-

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

niventibus evanidinerviis, capsula obovata nutante, operculo obtuse conico.

Br. argenteum, caulibus subramosis cylindricis erectis, foliis ovatis cuspidatis apice distantibus evanidinerviis, capsula ovato-oblonga pendula, operculo acute conico

Bryum Zierii Hedw. Schwaegr. l. c. p. 89.

Pulcherrimi hujus musci specimina norwegica a germanicis recedunt statura elatiore, foliis oblongo-lanceolatis longe acuminatis, et apophysi duplo quam capsula longiori. — *Bridelius* (Bryolog. univers.) operculum rostratum dicit, quod vero in omnibus mihi visis speciminibus breve conicum acutum modo reperii; *Hedwigius* quoque operculum *breve pyramidale* habet.

Bryum pulchellum Hedw. Schwaegr. l. c. p. 91.

Quae hoc nomine mecum communicatae sunt stirpes ad unam omnes, specie non differunt a *Br. carneo*, quod magnitudine, foliorum serratura, nervi ratione capsulaeque colore et figura multis modis variat. *Br. pulchellum* Fl. Stargard. autem, quod in Suppl. iterum monui, longe ab illis diversum, at nimis cognatum est, quod nunc video, cum *Br. erythrocarpo Schwaegr.* cujus varietatem elatiorem jam censeo. Quid vero de genuino *Hedwigii* musco existimandum sit, doceat nos Illustr. *Schwaegrichen*, ut aegerrima de illo dubia demum tollantur.

Ad *Br. carneum L.* etiam indubie revocanda sunt *Br. atropurpureum Wahlenb.* et *Br. erythrocarpum Brid.*; *Schwaegrichenius* quidem

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0506-9

ulterius ad suum *Br. erythrocarp.* citat, injuste autem; stirps, quam *Bridelius* olim humane mecum communicavit quamque Ill. Vir a *Schwaegricheniana* distinctam vult, reapse longe recedit: caulibus brevissimis in terra delitescentibus, foliis serratis pellucidis evanidinerviis, pedunculo crasso carnoso et capsula brevi ovata carnea; est *Br. carneum* β. *pusillum Fl Starg. Suppl. Bridelius* ipse stirpes sejunxit et *Schwaegrichenii* muscum *Br. sanguineum* denominavit.

Bryum albicans Wahlenb. Br. Wahlenbergii Schwaegr. l. c. p. 92. *t.* 70.

Vix hujus musci folia *cordato-ovata* dicerem; exceptis infimis caulium sterilium foliis, omnia cordato-lanceolata, imo fertilium longe acuminata sunt. *Bridelius* (Bryol. univers) hujus synonymon fecit *Mnium glaciale Schleich. Centur.* 3. *n.* 51, quod vero certissime alienum est; certum autem nostri synonymon censeo *Mn. turbinatum Schleich.* secundum Ipsius specimina, quae prostant in collectione amiciss. *Berlin.*

Bryum boreale Schwaegr. l. c. p. 96. *t.* 69.

De hac specie plane incertus haereo; quae enim illo nomine a Bryologis partim celeberrimis communicata sunt specimina, nec folia habent evanidinervia, nec capsulas horizontales erectiusculas, qualia exhibet icon citata; folia potius ovata acuminata nervo longe cuspidata erecta rigida sunt et capsulae nutantes vel omnino pendulae; ut verbo dicam, a *Br. cespiticio* non diversa ea censeo; genuina *Schwagrichenii* stirps itaque me fugit.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0507-5

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Bryum longisetum Bland. Schwaegr. l. c. p. 105. t. 74.

Hunc muscum jam Florae Stargard. civem quoque saluto; genuina distincta species certe est, quamvis cum similibus nonnullis *Br. cespitic.* varietatibus saepe confusam eam vidissem, a quibus tamen caule breviori, foliis longioribus lanceolatis, pedunculo longiore et capsula microstoma distinguitur.

Bryum cespiticum Hedw. Schwaegr. l. c. p. 109.

Ex innumeris hujus speciei varietatibus sequentes notabiliores distinguo

β. *elongatum*, caulibus gracilioribus elongatis, foliis ovato-lanceolatis longissime cuspidatis, pedunculis 2-3 uncialibus capsula oblonga pendula.

Habitat ad ripas lacustres Flor. Stargard.

Tirones sibi caveant ne hanc varietatem pro *Br. longiseto Bland.* colligant.

γ. *tenerrimum*, caulibus teretiusculis, foliis arcte imbricatis ovatis nervo cuspidatis subpellucidis, capsula gracili elongate pyriformi pendula.

Habitat in collibus apricis sterilissimis.

Valde gracilis atque minuta haec est; folia subsexfariam imbricata brevia concava, insolatione albido-pellucida, nervo solo cuspidata; his inductus, cum sterilia tantum specimina primo legissem, hanc varietatem pro *Br. Funckii* habui, quod juste monuit *Bridelius.* — Ceterum e numerosis *Br. cespiticii* varietatibus adhuc censeo *Br. cirrhatum* et *contextum Hornsch.* (Bot. Zeitung 1819. p. 90.) Flagella, quae priori attribuit Cel. autor, in meis speciminibus desiderantur; statura autem et singu-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0508-1

lae musci partes exacte congruunt cum memorata varietate β. Nec *Br. contextum*, paulo gracilius et capsula breviore, essentialibus a dicta varietate diversum invenio.

Bridelius quidem muscum hunc sibi ignotum sub cohorte „theca horizontalis" militare voluit, (Bryol. univers.) at ex meis speciminibus genuinis capsulae operculatae omnino pendulae sunt. — Nec nisi statura grandiore omnibusque partibus validioribus multo diversum haberem *Br. Varneum Bland.* (Brid. Bryol. univ. p. 675.); hoc tamen, quoad magnitudinem, ut extimus *Br. cespiticii* ludentis terminus videri potest, cum et caulibus evidenter flagelliferis, foliis latioribus acutis, nervo haud ita longe cuspidatis et capsula brevi ventricosa subturbinata microstoma facile recognosci possit; ad muscum solitae formae fere se habet uti *Webera longiseta* ad *W. nutantem.*

Bryum turbinatum Hedw. Schwaegr. l. c. p. 109.

Bryologorum vera crux hoc est et Bryologiae scandalum! Tot fere diversas muscorum species habebis, quot hoc nomine acceperis specimina. Mirum sane, quod illustrissimi autores de hac specie ita dissentiant, quam spectrum ferme crederes, de quo loquuntur omnes, quod vidit nullus; ipse genuinam stirpem nunquam vidi, et quam olim in Flor. Stargard. memoravi, est mera *Br. pseudotriquetri* varietas. Nec aliis rem melius gestam video, cum mox *Br. Schleicheri*, mox *Wahlenbergii*, imo *pallens* pro *turbinato* divulgarint et alii alia communicaverint. Nuperrime tandem Cl. *Laurer*

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

e Cel. *Hornschuchii* collectione specimina humane donavit, quae, si ulla, genuinum muscum sistunt; sunt haec insignia foliis ovato-lanceolatis nervo cuspidatis obsolete serrulatis margine incrassatis recurvo-patentibus subdecurrentibus, capsula aequali brevi-pyriformi pendula, operculo hemisphaerico mammillato. Folia semi-amplexicaulia, caute a caule soluta, basin subcordatam vel sagittatam mentiuntur.

Bryum pseudotriquetrum Hedw. Schwaegr. l. c. p. 110.

Praeter numerosa hujus musci synonyma huc quoque spectat, ni graviter fallar, *Mnium Duvalii Voit.* (Schwaegr. l. c. p. 126. t. 79.) quod in nostra flora haud rarum est.

Br. pseudotr. more solito in paludosis ad radices arborum graminumve cespites habitans, caule brevi, ramis incrassatis, foliis confertis latioribus rigidis perspicue marginatis amplexicaulibus sessilibus utitur; in aquis purioribus autem, praesertim ad rivulorum ripas vel in eorum alveis exsiccatis hunc ipsum muscum longe alienum videbis, caulibus nimirum elongatis, foliis rarioribus tenuioribus magis cuspidatis vix marginatis reflexiusculis utrinque in caulem decurrentibus cet. ut verbo dicam, *Br. pseudotr.* per *Br. bimum* evidenter transit in *Br. Duvalii.*

Bryum pallens Schwarz Musc. suec. p. 47. *t.* 4. *Schwaegr. l. c. p.* 111. *t.* 72.

Si hujus musci specimina carinthiaca, quae *Hornschuchius* donavit, cum genuinis *Swart-*

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0510-0

zii ejusdemque ac *Schwaegrichenii* icone et descriptione comparaveris, diversas species coram habere facile crederes; sunt enim illa his duplo triplove majora, caules elongati sesquiunciales, folia oblongo-lanceolata acuminata apice serrulata et capsulae ventricosae aequales nutantes subpendulaeve, quae omnia in iconibus citatis longe aliena; at tamen cum *Bridelius* (Bryol. univers.) folia ovato-lanceolata et muscum valde ludentem dixerit, re acquiescamus. — *Schwaegrichenius* atque *Bridelius* hujus musci synonymon fecerunt *Mnium graciale Schleich.* Cent. 2. h. 40. (nec 41. nec 46) et jure quidem optimo, exclusa tamen immixta specie subsequente.

Bryum coarctatum S.

Br. caule elongato subsimplici, foliis oblongo-lanceolatis erectis strictis obtusiusculis serrulatis evanidinerviis, capsula subpyriformi pendula, operculo conico acuto.

Habitat in monte Mora Helvetiae. *Schleicher.*

Caules simplices subuliformes partim gracillimi, folia imbricata, inferiora ovata concava subpatula, superiora oblongo-lanceolata erecta cauli adpressa, obtusiuscula serrulata luteo-viridia evanidinervia, perichaetialia feminea acuminata, obsoletius serrata, pedunculus uncialis tenuis purpureus, capsula, cum immatura sit, uti operculum accurate designari non sinunt, tamen illam pyriformem, hoc conicum acutum censere licet.

Fatum sane singulare pertulit haec stirps, quam

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

in schedula *Mnii gracilis Schleich. Cent. 2. h. 40. cum Br. pallente* commistam inveni; hanc ipsam procul dubio *Schleicherus* in animo habuit, cum muscum suum *gracilem* denominaret, qui vero ob adjacentem alienam speciem plane praetervisus atque neglectus fuit. Nomen triviale, utpote sat aptum, fortasse conservare debuissem; cum vero a Bryologis primariis *M. gracile Schl.* jamjam *Br. pallentis* synonymon factum sit, confusionem sic in dies adauxissem. Muscus ceterum a *Br pallente* distinctissimus est, nec mihi innotescit species cui posset adsociari.

Bryum glaciale S.

Br. caule elongato, ramis strictis obtusiusculis, foliis cordato-lanceolatis acutis apice serratis erectis solidinerviis, capsula brevi turbinata, operculo convexo umbonato.

Mnium glaciale Schleich. Cent 3. h. 41.

Br. Schleicheri β. tenerius Schwaegr. l. c. p. 113.

Habitat in udis alpinis glacialibus Helvetiae.

Ill. *Schwaegrichenius* hanc speciem *Br. Schleicheri* varietatem censet; nisi vero graviter fallar, nostra stirps non teneritate solum, sed vel ipsa partium structura ab illo recedit, quod dignoscendum: caule elongato ramoso, ramis cuspidatis, foliis latissimis cordato-ovatis cuspidatis concavis integerrimis patenti-erectis, capsula oblongo-pyriformi, et reti vasculoso diverso; hujus nempe cellulae laxae rhombeae vel subrotundae sunt, nostri contra confertae angustissimae lineares. — *Bridelius Mn. glaciale* ad *Br. Wahlenbergii re-*

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0512-2

duxit, et sane huic non absimile est; hoc tamen differt statura triplo saltem minori, foliis confertioribus basi vix cordatis angustioribus subobliquis laete viridibus evanidinerviis, nec albidis solidinervibus rel.

Quid? *Bryum lycopodiiforme Schleich.* a clar. viro olim divulgatum? sterile, caule elongato biunciali et longiori ramoso, ramis subfastigiatis ramulosis, foliis confertis laxe imbricatis erectis ovato-lanceolatis acutissimis solidinerviis, omni margine creberrime serratis vel denticulatis.

Mnium Hedw.

Mnium turgidum Wahlenb. Fl. Lappon. p. 351. t. 23. Schwaegr. l. c. p. 123. t. 77.

Equidem fateor hanc speciem nonnihil suspectam mihi esse; forte non nisi *Mn. palustris* varietas est, e loci natalis diversitate orta. Si enim *Schwaegrichenius illud* foliis ovalibus obtusis evanidinervibus, *hoc* autem foliis oblongo-lanceolatis acuminatis solidinervibus distinguit, monere liceat quod *M. palustris* folia in omnibus quae examinavi speciminibus evanidinervia sint; praeterea nostrae florae specimina duplicis formae folia habent: caulis atque ramorum inferiora sunt lineari-lanceolata acuminata fere cuspidata, (nec tamen cum *Web.* et *Mohro* subulata ea dicerem) planiuscula subflexuosa serrulata; in ramorum apice contra et sub innovationibus sunt oblongo-linearia concava subundulata, apice obtusa rotundata et vere cucullata, exacte qualia sistit *Schwaegr.* icon, modo magis elongata. *Weber* et *Mohr* (Crypt.

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

germ.) folia inferiora obtusiuscula et superiora acuta dicunt, at contrarium ipse observo.

Mnium lacustre Bland. Schwaegr. l. c. p. 124. t. 77. (nec 79.)

In flora stargardiensi haec species nunquam ita laxa et elata occurrit ac icon citata eam sistit; caules et innovationes duplo breviores foliis dense imbricatis fere julacei sunt, folia breviora ex rotunditate ovata valde concava brevissime cuspidata, capsulae breve-pyriformes vel turbinatae, fere ut in *Br. Wahlenbergii.*

Mnium stellare Timm. Schwaegr. l. c. p. 128.

Hujus musci folia, praesertim caulium annotinorum, vere decurrentia sunt et caulem alatum faciunt, quod nullibi memoratum invenio; sunt praeterea, si infima exceperis, omnia, nec sola perichaetialia, luculenter serrata breviterque apiculata, nec vero acuminata.

Mnium serratum Schrad. Schwaegr. l. c. p. 128.

Autores hujus stirpis folia e nervo cuspidata vel breviter acuminata nervumque excurrentem dicunt, excepta varietate pensylvanica, cui nervum quandoque sub-evanescentem *Schwaegrichenius* concedit; est autem nervus omnium foliorum, suprema perichaetialia si forte excipias, ante apicem evanescens, imo nonnunquam medio folio abrupte desinens, aeque ac in *M. stellari.* — *M. orthorynchum Bland. Brid.* (Bryol. univers. I. p. 691.) quod una cum *B. Blandowio* (sit ei terra levis!) in Fl. Stargard. legi, vix notabilior varietas censenda est; specimina loco scaturiginoso

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0514-3

turfoso lecta sunt, quo et elatiora et rubedine tincta operculumque longius rectiusque evaserunt.

Mnium latifolium Schwaegr. l. c. p. 138. Bryum latifol. Schleich.

Br caule longo subsimplici, foliis cordato-ovatis obtusis marginatis denticulatis subsolidinerviis patentibus.

Habitat in alpibus helvetic. et pyrenaicis.

Ill. *Bridelius* (Bryol. univers.) hunc sibi non visum muscum obscurum atque suspectum censet et *Cinclydio stygio Sw.* proximum esse suspicatur; at vero nec huic nec *Mnio punctato* eum associare licet et certo propria distincta species est; ab utroque caule longiore, foliorum figura totoque habitu recedens. Folia concavissima cochleariformia, inferiora subrotunda obtusissima solidinervia, superiora paulo elongatiora, suprema acutiuscula evanidinervia; color stygius ceterum stirpem aquaticam prodit, et foliorum textura eam hujus generis esse suadet.

Climacium Web. et Mohr.

Climacium dendroides W. et M. Schwaegr. l. c. p. 141. t. 81.

In flora nostra hujus musci *varietas* occurrit *breviseta, pedunculis ramos aequantibus*, qui pro more illos duplo triplove superant. Praeterea huic musco singulare est quod columella haud raro peristomium longe superemineat, imo operculum apici adglutinatum umbraculi ad instar sustineat, plane ut in *Systilio Hornschuchii.*

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0515-9

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Neckera Hedw.

Neckera heteromalla Hedw. Schwaegr. l. c. p. 156.

Hujus synonyma sunt *N. comata* et *circinata Link*, in *Lusitania* ad olearum truncos lectae et ab illustr. autore olim communicatae.

Neckera pumila Hedw. Schwaegr. l. c. p. 147.

Schwaegrichenius perichaetium setam subaequans dicit; in speciminibus anglicis autem a b. *Mohr* olim communicatis illam hoc triplo saltem longiorem invenio. *Mohrus N. pumilam Schleich. cent. 4. n. 21. Leskeam complanatam* censet, *Schwaegrichen* contra genuinam eam aestimat; at forte utramque muscum hoc nomine *Schleicherus* divulgavit; nam quae ipse in schedula a clar. viro communicata vidi specimina sterilia, omnino *L. complanatam* sistunt, quod tironum gratia memorandum duco.

Neckera cladorrhizans Hedw. spec. musc. posth. p. 307. t. 47.

Hujus stirpis copiosa specimina in *Germania meridionali* lecta prostant in collectione nobil. ab *Oertzen*. Non solum ramos apice radicantes, sed ipsum caulem radices agendi proclivem inveni, e foliorum axillis oriundas; plura tamen quoque habebis specimina hisce radiculis plane destitutis.

Neckera curtipendula Hedw. Schwaegr. l. c. p. 151.

Illustr. autor folia solidinervia dicit, quae vero in meis speciminibus omnino evanidinervia sunt, nervo conspicue, quasi abrupte ante apicem desi-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0516-5

nente; saepe ad duas tertias folii evanescentem nervum cum *Web. et Mohr* observavi.

Leskea Hedw.

Leskea polycarpa et paludosa Hedw. Schwaegr. l. c. 171. Web. et Mohr. l. c. p. 246.

Ingenue fateor me limites certos inter nominatas species invenire non valuisse, quamvis genuinas utrasque in Fl. Stargard. me invenisse certus sim. Muscus, quem ex mente *Web. et Mohr L. polycarpam* censui quemque in sicciorib us ad saxa legi, robustior quidem atque pallidior est, caules pinnati rarius bipinnati, folia utplurimum solidinervia, nervo tamen versus apicem obsoletiore, capsulae deoperculatae rectiusculae, operculatae inaequales curvatae sunt; *L. paludosa*, in umbrosis ad fluminum ripas, trabes arborumve radices lecta, lurida vel atrovirens caulibus tenuioribus 2-3-pinnatis, foliis paulo acutioribus, nervo plerumque versus apicem evanescente et capsulis gracilioribus subaequalibus nonnihil ab illa recedit; quis autem nobis testis, quin leviores hae differentiae loci natalis diversitate et aquae tractu effectae sint? Verum est, me saepius in saxis rivulo vicinis superne *L. polycarpam*, inferne et aquam propius *paludosam* observasse. Quid demum existimandum, si Autorum celeberrimos de stirpibus dissentientes videamus? Evidenter autem *Schwaegrichenius* atque *Turnerus* muscum, quem *Web.* et *Mohr. L. polycarpam* salutant, pro *paludosa* agnoscunt et vice versa. In hisce rei angustiis vix erravisse putarem, qui utrasque conjunxerit.

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Leskea attenuata Hedw. Schwaegr. l. c. p. 172.

L. caulibus ramosissimis, ramis curvatis incrassatis l. attenuatis, foliis secundis ovato-lanceolatis obtusis brevissime apiculatis margine planis evanidinerviis, capsula oblonga erecta, operculo conico.

L. attenuata Schwaegr. l. c.? Brid. Sp. musc. II. p. 39. *Timm. prodr. Fl. Megap. Suerin. p.* 222. *Schultz prodr. Fl. Starg. p.* 311. *Hypn. attenuatum Schreb. Fl. Lips p.* 100.

Habitat in udis sylvaticis ad saxa arborumque radices.

Jam diu autorum dissensus in describenda hac stirpe me offendit et diversas fortassis species hoc nomine venditari suspicatus sum; alii enim hujus musci folia ovato-acuminata, vel ovato-lanceolata acutiuscula, vel simpliciter ovata dicunt; alii et quidem plurimi ovata obtusa ea vocant; nervum quoque mox solidum l. excurrentem notant, mox evanescentem. Nuperius tandem, collectionem b. *Lamersdorfii* perlustrans, duas schedulas inveni, *L. attenuata* designatas, quarum alteri *Lammersd* inscripsit „misit *Hedwig.*"; utraeque eundem muscum quidem, sed a *L. attenuata* longe diversum et *L. incurvatae* propinquiorem continent; tum Humaniss. *Timmium* filium invitavi ut patris collectionem ventilaret; hic mecum communicavit duas capsulas, ab ipso b. *Timmio* „*L. attenuat. Hedw.*" inscriptas, quarum altera genuinam stirpem, altera *L. incurvatam Hedw.* includit; demum et *Blandowii* Fasciculos musc.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0518-7

exsicc. examinavi, iterumque *L. incurvat.* pro *attenuata* reperi. Vereor itaque ne in pluribus collectionibus stirpes confusae inveniantur. Quamnam *Hedwigius* delineaverit speciem, dum folia ovato-acuminata summus vir dixit, dijudicare nequeo, cum ejus icon, quod doleo, non ad manus sit; dubia tollat Ill. *Schwaegrichen.*

Leskea incurvata Hedw. Spec. musc. posth. p. 216. t. 53.

L. caulibus ramosis, ramis elongatis curvatis, foliis secundis ovatis acuminatis bistriatis subserrulatis, nervo subexcurrente, capsula oblonga cernua, operculo conico.

β. *stricta*, caulibus fasciculate ramosis arbusculoideis, ramis attenuatis erectis strictis, foliis ovato-lanceolatis longe acuminatis erecto-patentibus, vix homomallis.

Habitat in argillosis humidis; prope Geismar. D. *Lammersdorf.*

Habitu et foliorum figura atque directione longe recedit haec varietas a normali musco, vix tamen specie distinguenda; utrasque varietates saepe cum *L. attenuata* confundi, supra monitum est.

Leskea laeviseta S.

L. caule repente ramoso, ramis subdivisis erectis apice curvatis, foliis laxe imbricatis cordato-ovatis acuminatis subsecundis obliquis integerrimis evanidinerviis, capsula obovata erectiuscula, operculo conico acuminato.

Hypnum laevisetum Crome. Brid. Meth. nov. p. 171.

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Habitat in humidis umbrosis Westphaliae.

Quamquam unicum tantum, tamen genuinum ab autore missum specimen perquirendum habui, vix dubium mihi est muscum hujus potius quam *Hypni* generis esse; peristomii interioris cilia nulla inveni, nec autor ipse ea vidit, cum perist. interius „membranam lutescentem in 16. processus pyramidatos extentum" pronuntiet. Nomen triviale immutare nolui, licet seta minime laevis sit, sed superne obscure tuberculata.

Leskea pallescens Hedw spec. musc. 219. *t.* 55. *Schwaegr. l. c. p.* 174.

Hujus stirpis specimina germanica (Hopp. et Hornsch Dec Musc) a suecicis recedunt operculo obtuse conico. *Hedwigius* id subrostratum, *Schwaegr.* rostratum dicunt; vix tamen de specierum identitate dubitare licet — *L. hispidula Brid.*, quam cel. autor ad nostram reductam voluit (Spec. Musc.) non minus operculo rostrato gaudet; foliis tamen multo longioribus, madore undique patentibus, nec secundis, quodam modo recedit.

Quid? *Leskea repens Schleicher*, olim ab ipso divulgata absque loco natali. Autores, quos consulere potui, de ea silent; ipse autem ex unico specimine fructifero, ceteroquin imperfecto, de genere quid statuere non valeo; ex habitu tamen *Leskea* est, et muscus *Hypno serpenti* longe minor atque tenuior sic se habet: caules repentes subpinnati, rami simplices tenerrimi erecti teretiusculi, folia dense imbricata ovato-lanceolata longe acuminata fere subulata integerrima, basi bi-striata eva-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0520-6

nidinervia, ramorum stricta adpresso-erecta, caulium arcuato-recurvata subsecunda, perichaetialia in longam subulam attenuata, pedunculus tenuis purpureus unguicularis, capsula gracilis ovato-oblonga erecta rufo fusca, operculum... Non mihi innotescit muscus, cui haec stirps posset adsociari.

Hypnum Linn.

Hypnum silvaticum Huds. Schwaegr. l. c. p. 186. t 87.

Postquam speciosi hujus musci genuina specimina etiam in Fl. Stargard. observavi, (lecta in udis nemorosis prope Neustrelitz ab amic. *Beuthe* pro *H. denticulato*) facile adsentirem *Schwaegrichenio*, eum ab *H denticulato* diversum denuo censenti; vix enim, hoc ad tantam magnitudinem excrescere tamque alienum habitum induere posse, supponere licet. Specimina mea 3-4 uncias longa, stolonibus vel propagulis partim filiformibus arcte intricata, folia pterigoidea valde obliqua amoene viridia, pedunculi sesqui ad biunciales omnino laterales sunt, cet. Si autem Ill. autor hanc speciem praecipue foliis basi *binerviis*, *H. denticul* foliis *enerviis* distinctam vult, monere liceat, vel hujus folia basi binervia esse, quamvis nervi gemelli minus clare perspiciantur. Ceterum genuinum *H. sylvaticum* haud ita vulgare esse videtur; specimina enim quae hoc nomine mecum b. *Mohr* olim communicavit, ipsissimum *H. denticulat.* sistunt; haud mirum itaque quod species utrasque b. vir identicas censuerit.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0521-2

Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Hypnum denticulatum L. Schwaegr. l. c. p. 187. Web. et Mohr l. c. p. 346.

Mohrus hujus synonymon declaravit *H contextum Schleich. Cent. 3. p. 49*; *Schwaegrichenius* contra ad *H. pulchellum* id reduxit, et sane uterque suo jure hoc fecit; specimina enim a *Schleichero* divulgata mixta sunt: fructifera omnino *H. denticulatum* sistunt, sterilia vero *H. pulchellum.*

Hypnum fontanum Schleich. Cent. 2. n. 53. Schwaegr. l. c. p. 229.

Ill. *Schwaegrichen* hoc ad *H. cordifolium* reduxit, vix apte; meliori jure *Web.* et *Mohr* l. c. p. 328. ad *H. riparioid.* citant, cujus certe gracilior modo atque pallidior varietas est. Ceterum facile fieri potuit ut *Schwaegrichen* inter sua specimina et verum *H. cordifolium* invenisset; nam in schedula a clar. *Schleicher* illo nomine divulgata, tres diversissimae species prostant: *H. molle Dicks. H. falcatum Brid. et H.* hocce *fontanum*; quod tironum gratia monere necessarium duxi.

Nec *H. oligophyllum Schleich.* ab hoc vel *riparioidi* differre videtur. *Schwaegr.* ad *H. riparium* revocat: folia autem evidenter serrata et obtusiora sunt quam in *H. ripario*; dubius tamen haereo cum fructum non vidissem et *Schwaegr.* operculum conicum dixisset.

Hypnum stramineum Dicks. Brid. Sp. musc. II. p. 130. Web. et M. l. c. p. 320. Schwaegr. l. c. p. 212. t. 89.?

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0522-8

Cel. *Schwaegrichen H. trifarium Web.* et *M. H. straminei* varietatem censuit, at tanti viri pace, his adsentire nequeo. Utrique musci in Fl. Stargard. frequenter occurrunt, praesertim *H. stramineum* diversis locis legi; nunquam vero dubitavi vel primo intuitu stirpes discernere; non autem solo habitu, sed ipsa partium structura differunt: *H. trifarium* dignoscitur colore lurido, caule robustiore ramosiore, ramis incrassatis clavatis, apice subulatis, foliis arctissime imbricatis subrotundo-ovatis s. ovalibus, vix basi latioribus apice, nitidis concavissimis, nervo ultra medium evanescente, obliterato, rarius nullo.

H stramineum distinguitur: colore pallido stramineo, nonnunquam purpurascente, caule debili subsimplici, ramis aequalibus, apice obtusis subpatulis, foliis laxe imbricatis erectis subdistantibus oblongo-ovatis, obtusis quidem, at perspicue apicem versus angustioribus concavis obscure striatis, nervo crassiore luculentiore apicem fere attingente. His comparatis patet quod icon citata, quae *H. trifarium* satis bene exprimit, *H stramineo* nullo modo respondeat; si autem *Schwaegrichenius* utrasque stirpes non diversas censuit, forte *Schleicherianis* speciminibus Ill. vir inductus est; nam *H. stramineam Schleich.* et *H. uliginosum* ejusdem (H. trifar. W. et M.) ipsius speciminum fide, unus idemque muscus est et longe diversus a genuina *Dicksoni* stirpe.

Hypnum albicans Necker. Schwaegr. l. c. p. 214.

Hujus musci specimina grandiora densiusque

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

foliata, l. genuinum *H. albicans*, in sylvis nostris editioribus ad saxa et terram frequenter quidem, sed semper sterilia occurrunt; gracilior autem varietas, l. *H. flavescens Roth*, in aggeribus, sub sepibus cet. quotannis vere fructifera reperitur; haec varietas quoque *H. gracilescentis* nomine mecum communicata est, cujus tamen autor me fugit. — *Weber* et *Mohr* nostram speciem *H. ripario* proximam censent: hoc autem caulibus complanatis et foliis latioribus subdistichis margine planis facile distinguitur.

Hypnum Illecebrum L. Schwaegr. l. c. p. 225.

Quae hoc nomine *Schleicherus* divulgavit specimina, certe non genuina sunt; folia enim non serrulata, sed integerrima iisque *H. puri* simillima invenio Genuina stirps, cujus nuperrime ex America speciminum sterilium copiam missam accepi, plerumque *H. puro* simillima dicitur; si vero utrasque species juxta se positas comparaveris, hoc vix probabis. *H. illecebrum* grandius fusco-nigrescens vage ramosum caulem habet ramosque crassiores obtusiores teretes, folia infima quidem ovata obtusa breviter mucronata concavissima, superiora autem omnino ovata acuta, imo suprema vere acuminata, acumine plano quidem, sed semel bisve torto, omni margine, praesertim apicem versus serrata, concava patenti-erecta, stria una alterave notata, nervo tenuissimo apicem versus vel medio folio evanescente, rarius plane deficiente; *H. purum* colore et adspectu amoenius caule est subcompresso pinnato, ramis gracilioribus apice attenuatis

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0524-9

subrecurvatis, foliis arcte imbricatis conniventibus, omnibus vel supremis obtusis mucronatis, mucrone brevissimo extrorsum flexo, concavis substriatis obliquis, nervo excentrico, medio evanescente, integerrimis. *Schwaegrichen* hujus setam scabram dicit, est autem in meis speciminibus nitens laevissima. — *Bridelius* (Spec. muscor. II. p. 126.) *H. illecebrum* americanum europaei varietatem fecit; cum autem *Dillenius* et *Hedwigius* stirpem primitivam ex America habuerint atque delineaverint, essetne accommodatius rem invertere et europaeum muscum, ceteroquin dubiis et commutationibus suspectissimum illius potius varietatem declarare?

Hypnum umbratum Ehrh. Schwaegr. l. c. p. 234.

Hujus folia si enervia dicuntur, de rameis tantum hoc verum est; caulina omnino basi nervis gemellis, rarius singulo, medium folii attingentibus, instructa sunt.

Hypnum populeum Swartz. Schwaegr. l. c. p. 238.

Cel. *Schwaegrichen* setam laevem exhibet, est autem scabriuscula, superne praeprimis, quod etiam *Weber* et *Mohr* memorant; hi vero si indubie ad hanc speciem citant *H. ambiguum Schleich.*, monendum habeo specimina ab ipso divulgata nil nisi *H. intricatum* sistere; sunt iis folia lanceolata longe acuminata serrulata subhomomalla, nervus ultramedius, seta scabra, operculum conicum.

Hypnum piliferum Schreb. Schwaegr. l. c. p. 239.

Weber et *Mohr* hujus musci folia longe tenuiterque acuminata serrulata seminervia dicunt;

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Schwaegr. enervia et integerrima ea censet; sunt autem folia *caulina* ovata concava obtusa, apice repente et oblique contracta in acumen longum piliforme, *ramea* ovato-oblonga pedetentim longe tenuiterque acuminata, omnia concava luculenter serrulata omninoque nervosa, nervo e basi latiuscula attenuato, medio folio evanescente; vidi rarius folia nonnulla e lusu naturae mediotenus fissa et nervis duobus armata.

Hypnum fluviatile Swartz. Schwaegr. l. c. p. 263.

Schwaegrichen hujus synonymon fecit *H. Seligeri Brid.*, et jure quidem; nam specimen quod mecum ipse Ill autor communicavit, sterile quidem, ipsissimum *H. fluviatile* sistit; eundem muscum et *H. filicinum* eodem nomine *Schleich. Cent. 2. n. 29* divulgavit. *Mohrus* contra *H. Seligeri H. serpentis* varietatem censet, et sane suo quoque jure; specimina ab eo olim communicata ab *H. serpente* distinguere non valeo: sunt iis folia ovato-lanceolata longe acuminata erecto-patentia stricta, nervo nonnullis evanescente, aliis subexcurrente. An itaque b. vir a semet ipso, vel aliis deceptus? — *Schwaegrichenius* et *H. fallax Brid.* ad nostrum reduxit, quod quidem foliis e basi latiore longius acuminatis omnino rectis, vix unquam homomallis, et ramis elongatis quodam modo recedit, tamen specie, quod nunc video, vix distingui potest.

Hypnum myosuroides L. Schwaegr. l. c. p. 267.

Nitida haec species, quam Fl. Stargard. civem nunc etiam saluto, ab *H. curvato* facile dignosci-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0526-1

tur caule ramisque gracilioribus apice attenuatis, colore pallescente coeruleo-viridi, foliis lanceolatis acuminatis serratis seminervibus, operculo conico-elongato vel subrostrato; rarius folia basi cordata, utplurimum ovato-lanceolata, vel omnino lanceolata sunt.

Hypnum stellatum Hedw. Schwaegr. l. c. p. 274.

Hujus speciei quidem mera varietas censendum est *H. protensum Brid. alpestre*, sat memorabile tamen habitu et maxima caulis elongatione, nostris speciminibus palustribus plane alienis. — In florula nostra occurrit *H. stellati* varietas *gracilis*, omnibus rationibus duplo triplove minor, foliis e cordata basi repente angustatis in longam subulam protractis omnino enerviis; hancce varietatem olim cum *Web.* et *Mohro* pro *H. squarrosulo Brid.* habui; cum autem illustr. autor suo musco folia „mediotenus ductulosa" adscripserit, *Schwaegrichenio* potius adsentio, qui hoc ad *H. chrysophyllum* reduxit, probante quoque specimine a generosissimo *Bridelio* humane condonato. Conservanda itaque est *H. stellati* var. *minor*, *Weberi* et *Mohri*, excluso synonymo *Brideliano*. Ceterum moneo, tam *Bridelii* quam *Mohri* et mea ipsius specimina, omnia sterilia esse ideoque facile fieri posse ut muscus, praeterea habitu sat peculiaris, demum fructifer lectus propriam speciem se probaturus sit.

Hypnum rigidiusculum Bland. Musc. exsicc. fasc. 5. n. 230. Brid. spec. musc. II. p. 104.

H. caule adscendente subbipinnato, ramis strictis

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

subdistichis, foliis triangulari-cordatis acuminatis flexuosis serrulatis evanidinerviis squarroso-patentibus, capsula . . . .

Habitat in collibus graminosis sylvaticis flor. Stargard.

Nimis scrupulosus mihi videtur illustr. *Bridel*, hanc speciem ab *H. praelongo* non sejungens; est certe distinctissima.

Caulis adscendens divisus, vel inordinate bipinnatus, rami stricti, fere angulo recto patentes, decrescentes versus caulis apicem demum simplicem longum rigidum quasi proliferum, fere uti in *H. tamariscino*; folia *caulina* e latissima cordata basi repente contracta et attenuata in apicem longum flexuosum vel repandum recurvo-patentem. nervo evanescente, nec abrupte desinente; *ramea* cordato vel ovato-lanceolata longe acuminata luculentius serrata, nervo altius adscendente, erecto-patentio. *H. praelongum* multo laxius atque debilius fasciculate ramosum, nunquam ita longis et acuminatis foliis gaudet; in quavis ejusdem, vel tenuissime *filescenti* varietate folia ad cordato-ovatam, vel ovato-lanceo atam figuram vergunt.

Hypnum Halleri L. fil. Schwaegr. l. c. p. 288

H. dimorphum Brid spec musc. II. p. 149

H. diversifolium Schleich

Equidem invitus a *Bridelio*, *H. dimorph.* ab *H. Halleri* distinctum censente et (Meth. nov. p. 165) iterum confirmante, dissentio. Verum est centenas muscorum species examinare poteris, nec ejusmodi variationis exemplum habebis, tantum

primo intuitu alter ab altero musco recedit, et tanta *H. dimorphi* folia caulina et ramea diversitas intercedit. At tamen non minus verum est dari specimina intermedia quae transitum alterius in alterum muscum clare demonstrant; asservo *H. dimorph.* ramos, quorum folia suprema ovata obtusiuscula arcte imbricata, media elongatiora acutiora patentia, inferiora et trunco vicina vere recurvata e cordata basi longe acuminata, caulinis simillima sunt; imo *H. Halleri* specimen habeo, cui folia omnia cordato-acuminata recurva sunt, quod autem e foliorum axillis ramulum emisit foliis ovatis obtusis adpressis tectum. Vix itaque dubium mihi est *Schwaegrichenium* utrasque stirpes jure conjunxisse.

H. diversifolium Schleich., quod *Bridelius* (spec. musc.) verbo memoravit, in Method. nov. autem omisit, e genuinis *Schleicheri* speciminibus ipsissimus *Bridelii* muscus est.

Hypnum palustre L. Schwaegr. l. c. p. 292. Web. et Mohr. l. c. p. 363.

Excepto *H. serpente* vix mihi hujus generis species nota est ratione nervi ita variabilis ac *H. palustre;* inde autorum dissensus in describendis hujus foliis, quae mox seminervia, mox enervia dicunt. Ex mea qualicunque observatione folia omnino nervosa dicenda sunt et generaliter statuere licet quod caulina et ramorum inferiora seminervia, superiora vero saepius basi brevissime binervia sint; haud raro autem intercurrit folium, omni nervi vestigio destitutum. Praeterea folia vel recta vel

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

homomalla, valde concava, ovata, acuta vel acuminata et tunc apice oblique recurvata marginibusque involuta subfalcata sunt. — In tironum commodum moneo me bis *H. palustre* a bryologis pro *H. ripario* missum accepisse!

Hypnum subsphaericarpum Schleich. Cent. 2. h. 46. Schwaegr. l. c. p. 302.

Autores hunc muscum a praecedente distinguunt et in systemate ab eo longe removent; sunt autem stirpes cognatissimae et vix specie differunt. Ill. *Schwaegr.* ab illo nostrum praecipue ramis apice aduncis et foliis subfalcatis distinctum vult; at vero *H. palustris* folia saepenumero homomalla sunt, et tum magis acuminata ac recurvata apicesque ramorum adunci evadunt. *Weber* et *Mohr l. c. p. 366. Schleicherum* vituperant quod *Halleri n.* 1738., ad *H. palustre* jam laudatum, etiam ad suum *H. subsphaeric.* citaverit, quod scilicet diversissimum censent; at tamen non possunt quin idem *H. lurido* l. *palustri* omnibus numeris „satis simile et bene quadrans" habeant, solo nervo excepto, quem quippe *excurrentem* vocant; *Schwaegrichen* verum folia *ruptinervia* dicit, et jure quidem; eadem fere hic obtinet nervi ratio, quam ad *H. palustre* vix memoravi: folia caulina nimirum et ramorum primordialia nervo gaudent altius adscendente, at nunquam excurrente, superiora vero plerumque enervia sunt vel vix nervi vestigium produnt; solidus itaque character specificus stirpes nullus intercedit. In Fl. Stargard. ad saxa undis verberata legi specimina sterilia, *Schleicheria-*

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0530-2

nis ut ovum ovo similia, foliis longe acuminatis circinate recurvatis; alio loco, ad molae fundamenta antiqua continue humefacta, alia habui, quae *H. palustre* in *subsphaericarpum* transiens clare evincunt Demum moneo quod olim ex Helvetia *Guckenberger* hunc *Schleicheri* muscum pro *H. ambiguo Schrad.* (revolv. Swartz) divulgavit.

Hypnum scorpioides L. Schwaegr. l. c. p 293. *t.* 95.

β. *heterophyllum* caulibus erectis ramisque attenuatis, foliis inferioribus ovatis acutis, superioribus oblongo-lanceolatis acuminatis apice setaceis flexuosis subsecundis enerviis, colore albido-virescente.

Habitat in pratis inundatis Flor. Stargard. sterile.

Singularem hanc stirpem ne cum H. fluitante confundant sibi caveant tirones; non est ista varietas suecica, quam *Web* et *Mohr* l. c. sub *H. scorpioid.* tetigerunt, cujusque ab ipsis exempla habeo; haec non nisi foliis laxioribus magisque acuminatis et falcatis a solito musco recedit et persimilis est *H. lycopodioidi*, salvo tamen nervo; huic quodam modo respondet *H fuscum Schleich.* cent. 4. n. 24 a vulgari musco nunquam disjungendum.

Hypnum plicatum Schleich. Cent. 4. *n.* 27. *Schwaegr. l. c. p.* 301.

H caule adscendente subpinnato, ramis teretibus subrecurvatis, foliis ovatis acuminatis subintegerrimis multo-striatis subsolidinervibus, supremis homomallis falcatis, capsula oblonga curvata, operculo elongate conico.

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Stirps pulcra distinctissima, vix cum *H. rugoso*, vel alia quacunque specie confundenda; folia striis s. plicis pluribus longitudinalibus, una cum nervo fere ad apicem usque continuatis, exarata, vix tenuissime serrulata sunt.

H. rugosum differt caule robustiore et ramosiore, foliis latioribus magis falcatis luculentius serrulatis seminerviis.

Hypnum fluitans Hedw. Schwaegr. l. c. p. 304.
H scoparium Brid. Spec. musc. II. p. 313.
H. macropodon Schleich.

H. scoparium Brid. quod in Fl. Stargard. semel at magno numero legi, cum *Schwaegrichenio* quidem *H. fluitantis* varietatem interim censeo, tamen cum *Brideliio* fere crederem, stirpem fructiferam demum lectam forte propriam speciem sese probaturam fore.

Specimina mea elegantissime pinnata, imo bitripinnata complanata fusco-lutea nitentia, faciem pulchram fucoideam prae se gerunt; caules atropurpurei sublignosi basi cum ramis inferioribus calvi, seu foliis minutis squamulosis tecti subcurvati; folia lanceolato-setacea longissima subsecunda, quandoque in uno alterove ramo leniter falcata vix ac ne vix quidem serrata, nervo ultra medium evanescente.

Habitat in flumine ad radices alnorum, sterile.

Aliam habeo varietatem, quam *confervoideam* diceres, caule, ramis foliisque valde elongatis attenuatis laxissimis, quasi in funem confertis; iterumque aliam, quae *ramulosa* mihi audit, ramis cre-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0532-3

bris recurvo-patentibus, foliis omnibus falcatis; huic respondet *H. macropodon Schl.*, ab ipso olim divulgatum, nullibi, quod scirem memoratum l. descriptum, certissime autem ad polymorpham nostram stirpem revocandum.

Hypnum falcatum Brid. Spec. musc. II. p. 212. Schwaegr. l. c. p. 304.

Spectabilis stirps, quae duplici satisque diversa forma occurrit: specimina a V. V. C. C. *Hoppe* et *Hornsch.* divulgata, in rivulis alpinis lecta, ramis uncinatis foliisque acuminatis falcatis fere circinatis gaudent et non absimilia sunt *H. revolventi Sw.*; re vera specimen e Carinthia missum accepi, *H. falcat.* fructiferum dictum, quod ipsissimum *H. revolvens.* l. *H. aduncum L. Web* et *Mohr* sistit. Specimina vero ab ipso Ill autore condonata, uti alia, quae Hannoverae „circa die Bruck" et prope Hallerbrunn lecta sunt, ramos et folia habent omnino recta, vix suprema homomalla. His respondent specimina a memet ipso in Fl. Stargard. ad trabes molares aqua stillante continue humefactas lecta, nec non, quae prope Gottingam ad molam chartaceam ante multos abhinc annos lecta et pro *H. atlantico Brid.* venditata habeo, quibus folia recta stricta et aquae tractu ita attenuata sunt ut nonnullis solus nervus superstes sit. In omni tamen variationis statu muscus facile dignoscitur foliis e cordata basi ovatis l. lanceolatis subfalcatis, nervo crasso subexcurrente et colore atroviridi. — Ex dictis ceterum patet, stirpem

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

hancce minime raram esse, neque adeo Germaniam septentrionaliorem ea carere.

Tandem sequentes adhuc memorandas habeo species dubias, de quibus meliora me doceant Bryologi.

Hypnum intertextum Voit. Brid. Meth. nov. p. 167.

Quae hoc nomine communicata habeo specimina, cespitulum sistunt e *Jungermannia asplenioid.* et *quinquedentata*, *H. praelongo*, aliisque quisquiliis conflatum, quibus immixta sunt, vel intertexta, si malueris, specimina singula, quae ab *H. murali* discriminare non valeo, nisi mole omnibus rationibus minori et foliis paulo acutioribus; simillima folia autem in uno alterove ramo et *H. murale* spectanda praebet. Operculum meis deest; *Bridelius* brevirostre hoc vocat; itaque essentialiter ab operc. *H. muralis* non diversum, cujus sane emaciata varietas videtur *H. intertextum*, inter alios muscos parasiticos misere vitam degens.

Hypnum filamentosum Dicks.?

Muscus qui hoc nomine collectionem meam intravit, vix ac ne vix quidem diversus est a *Leskea incurvata var. β.* seu *H. implexo Brid.* An fortasse de genuino *Dicksoni* et *Smithii* musco idem existimandum? Certo *Smithii* descriptio (Fl. britan. III. p 1308) non contradicit, nec *L. incurvata* semper ramos et folia curvata habet, satis saepe rami stricti filiformes sunt et folia recta plus

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0534-5

minus secunda; at tamen, cum *Dicksoni* stirps mihi ignota sit, nil ex tripode!

Hypnum emarginatum Schleich.

Hoc nomine *Schleicherus* olim divulgavit specimina sterilia quae, ni graviter fallar, nihil sunt nisi surculi senescentes *Leskeae attenuatae.* Folia plurima apice vel medio diffracta ob concavitatem emarginata atque truncata videntur; num hoc fortasse singularem illam denominationem peperit? paucissima quae supersunt folia integra, quoad situm, figuram atque texturam omnino L. attenuatam produnt.

Hypnum debile Schleich.

H.? caule repente filiformi, ramis elongatis erectiusculis, foliis ovatis acutis vel acuminatis concavis enerviis tenuissime serrulatis erecto-patentibus. — Muscus debilis tenerrimus, H. serpenti longe tenuior, a clar. Schleicher quondam sterile divulgatus; non est *H. debile Bridel.* (spec. musc. II. p. 250.) americanum, quod quippe foliis solidinervibus insigne est; nostrum ex habitu *Leskeae* generis potius videtur.

Hypnum viride Schleich.

Hoc olim a *Schleichero* absque ulla notione divulgatum, est caule decumbente subpinnato, ramis simplicibus, foliis ovato-acuminatis subintegerrimis evanidinervibus, pedunculo laevi, capsula oblonga erectiuscula . . . . vix nisi *H. serpens* colore laetius viridi est.

An idem existimandum sit de *H. viride Lamarckii* et *Candollii*? *Bridelius* hoc sine dubio

http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

H. serpentis varietatem declaravit, *Schwaegrichen* contra ad *H. intricatum* reduxit, quocum *Schleicheri* muscus ob pedunculum laevem non quadrat.

Hypnum tenuifolium Schleich.

Bridelius Spec. musc II. p. 218.) hanc stirpem *H. cupressiformis* varietatem fecit; specimina autem, quae ab ipso *Schleichero* communicata habeo, illo musco longe tenuiora sunt et folia lanceolata acuminata recta patentia, vix suprema homomalla, enervia albicantia habent, nec valde elongata falcata cet.; *Leskeae subtili* potius propinqua videtur stirps, quantum quidem e speciminibus sterilib. judicare licet.

Hypnum circinatum Schleich.

Hoc nomine *Schleicherus* stirpem quondam sterilem divulgavit, quae caule compresso, subpinnato, ramis incurvatis et foliis longe acuminatis secundis falcatis enerviis est, quamque quo modo ab *H. cupressiformi*, bryologorum scandalo distinguerem, me hercle! non perspicio.

Addenda et emendanda.

In Particula prima p. 140. post *Barbulam* inserenda

Barbula squarrosa S.

B. caule brevi simplici, foliis lineari-lanceolatis canaliculatis obtusiusculis, margine inflexis subundulatis squarroso-patentibus, perichaetiali-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0536-6

bus e latissima vaginante basi subulatis, capsula cylindrica curvata, operculo subulato.

Habitat in alpibus Salisburgensibus. Cel. *Hoppe* et *Laurer* communicaverunt.

Magnitudine, habitu setaque pellucente simillima *B. convolutae*, characteribus dissimillima; variat colore flavescente et intense viridi.

Pag.	121	lin.	13	ab infra	lege	vel
—	122	—	15	—	—	occurrit
—	127	—	6	—	—	urceolatum
—	128	—	18	—	—	divulgarunt
—	130	—	19	—	—	quae
—	131	—	19	—	—	occurrit
—	136	—	4	a supra	—	allata
—	139	—	13	—	—	definiendo
—	142	—	9	ab infra	—	communicatum
—	144	—	9	a supra	—	stirpes
—	150	—	9	—	—	haud.

Dabam Neobrandenburgi
(M. Duc. Megapol. Strelitz.)
die XII mens. Decembr. 1826.

C. Fr. Schultz.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0537-2

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

Adolph. Franc. Lang, plantarum novarum in Hungaria detectarum descriptio.

(Cum tabul. lithographica I.)

1. *Echium Schifferi Lang.*

Char. spec. E. caule herbaceo, simplici, stricto, foliisque lanceolatis strigoso-hirtis, racemo terminali spiciformi, gracili, elongato, spiculis lateralibus patentibus, simplicibus, pedunculis angulatis, floribus remotis, staminibus corolla irregulari longioribus.

Descriptio. Radix biennis, ramosa, crassa. Caulis simplex, herbaceus, strictus, bi-tripedalis, teres, rigidus, foliosus, pilis albis undique strigoso-hirtus, ad apicem spiculis axillaribus instructus. Folia lanceolata, integerrima, uninervia patentia, setulis albis subadpressis undique praesertim ad nervum medium albicantem piloso-hirta; radicalia triquatuor uncialia, aut spithamaea, in petiolum supra canaliculatum, subtus semiteretem, hirtum, basi dilatatum, attenuata: caulina sparsa, sessilia, sensim breviora, suprema basi dilatata, ovato-lanceolata. — Flores subsessiles, spicati, secundi, axillares, ante anthesin imbricati, densi, apice recurvi, dein remoti, bracteis ovato-lanceolatis interrupti, pedunculis communibus plerisque superne axillaribus, elongatis, angulatis, pilis sparsis strigoso-hirtis. — Calyces quinquepartiti, laciniis aequalibus, lanceolatis, nervo medio albicante notatis, undique hirtis, florigeri erecti, fructigeri patentes. Corolla irregularis subcyathiformis, tubo

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0538-8

subincurvo, calyce bi-triplo longiore, extus pubescens, coerulescenti-carnea, lobis inaequalibus erecto-patentibus, rotundato-obtusis. Stamina inaequalia corolla multo ($\frac{1}{3}$) longiora, antheris purpureis. Stylus staminibus longior ($\frac{1}{4}$) pilis patentibus hirsutus, stigmate bifido. Semina rugosa pallida flavescentia.

Critica. Ab *E. vulgari L. E. italico L.* aliisve diversa: caule foliisque *lanceolatis*, *strigoso-hirtis*, racemo terminali spiciformi, *gracili*, *elongato*, spiculis lateralibus patentibus, *simplicibus*, *elongatis*, *pedunculis angulatis*, floribus *remotis*, staminibus corolla *coerulescenti-carnea*, *irregulari*, longioribus.

Patria. Habitat in sterilibus collium ad Grofs-Petersdorf, Cttus Castriferrei Jlo. Agto. ubi eandem primus detexit amicus mihi dilectus D. J. J. *Schiffer* Pharmaciae Magister, Doctoratus Chemiae Baccalaureus, plantarum indagator solertissimus in cujus honorem nomen specificum dixi.

Explicatio iconis Tab. I., plantam paululum imminutam exhibens:

a. Pedunculus communis angulatus, cum flore, calyce, et bractea auctus.

b. Pars folii aucta.

c. Semina magnitudine naturali.

2. *Polycnemum Heuffeli Lang.*

Char. spec. P. foliis filiformibus, subspinosis, confertis, reclinatis, caule erecto, ramoso, puberulo, viscido.

Descriptio. Radix annua, tenuis, ramoso-

Digitized by Harvard University, Ernst Mayr Library of the Museum of Comparative Zoology (Cambridge, MA); Original Download from The Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

tortuosa, perpendicularis, albescens. Caulis herbaceus, palmaris, raro semipedalis, subadscendens, laxus, pubescenti-viscidus, teretiusculus, ramosus, rami inferiores elongati, brachiati, superiores coarctati, abbreviati, alterni, omnes subarcuati. Folia filiformia, mucrone subpungenti terminata, basi marginibus membranaceis, pellucidis, albis, paululum dilatata, sessilia, conferta, alterna, reclinata, puberula. Flores in axillis foliorum sessiles, solitarii, bracteis et foliis floralibus suffulti. Corolla petalis quinque calyciformibus, aequalibus, ovato-lanceolatis, cuspidatis, uninerviis, membranaceis, albis pellucidis, apice patentibus, basi germini adpressis, persistentibus, capsula multo ($\frac{1}{3}$) longioribus. Bracteis (aliis calyx) duobus ad basim corollae, ovato-acuminatis, patentibus, uninerviis, albis, pellucidis, corolla longioribus. — Stamina tria-quinque (?) corolla breviora. Germen subrotundum, compressiusculum. Stylus brevis, bifidus, divaricatus. — Stigma globosum. — Capsula arcte germini adpressa, tenuissima, membranacea, pellucida, alba, basi demittens semen lenticulare subrotundum nigrum excavate punctatum.

Critica. Differt a proximo *P. recurvo Loisl.* et a *P. arvensis* varietatibus (P. inundato Hop. P. triandro Schranck) potissimum: caule *minore*, *graciliore*, *erecto*, *puberulo* — *viscido*, foliis *filiformibus*, *confertis*, *reclinatis*, *puberulis*, corollis axillaribus, capsula *multo longioribus.*

Patria. Habitat in sylvis collium arenosorum ad Vercsegyhàz Cttus Pestiensis, Agto. Spbri

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0540-7

ubi eandem detexit amicus dilectissimus D. *Heuffel* Medicinae Licentiatus, plantarum pannonicarum scrutator indefessus, et *Caricum* hungaricarum mox monographus, in cujus honorem nomen specificum dedi.

Plantarum novarum vel minus cognitarum descriptiones: auctore Laurent. a Vest, Medic. Doct. Botanices Prof. et Hort. bot. Directore.

I. *Schoenodorus ferrugineus V.*

Char. spec. Planifolius, panicula angusta erecta, pedunculis brevibus paucispiculis laevibus, spiculis unicoloribus subsexfloris, glumis exterioribus acuminatis, ligula oblonga, radice fibrosa caespitosa.

Descript. Radix fibrosa caespites formans. *Folia* fasciculorum linearia plana erecta striata laevia basi dilatato-membranacea. *Culmi* pedales et majores, teretes, laeves, tribus circiter vaginis glabris striatis arctis involuti. Folia culmea plana. *Ligula* oblonga. *Panicula* erecta angusta, rachi laevi, pedunculis brevibus laevibus paucas spiculas gerentibus. Spiculae fere poaceae lineas 5 longae compressae unicolores ferrugineae 6-7 florae. *Calycis* valvulae (de more) inaequales, majore trinervi fere 3 lineas longa. *Petalum* exterius compresso-carinatum subacuminatum fine integro (vix dentato ut *Schoenodoris* esse deberet).

Crit. Cum *Sch. spadiceo* legi in alpe carinthiae Kum prope Rosegg, sed mihi diversa videtur

© University Herbarium Library, http://www.herbarium.at/ Digitalisierungszentrum www.zobodat.at

foliis planis, ligula longiora oblonga, panicula magis racemosa, spiculis majoribus unicoloribus.

An non sub *Festuca spadicea* autorum duo gramina lateant? Icon *Hostii* herbam et spiculas nostri *Sch. ferruginei* bene exprimit, et in descriptione perhibet cl. *Host* folia primum complicata dein explanari. Sed e contra cl. *Gaudin* I. p. 270. (qui descripsit vivam plantam) dicit folia primum planiuscula, mox sese convolventia, ut cilindrica videantur.

II. *Scabiosa cyanocephala V.*

Char. spec. Corollulis quadrifidis radiantibus, caule ramoso foliisque integerrimis glabris, paleis lanceolatis acutis basi angustatis germina pilosa excedentibus, radice repente.

Descript. Radix repens. *Caulis* bipedalis sat fortis, teres, glaber, ramosus, ramis patentibus. *Folia* integerrima glabra, raro obsolete dentata satis firma, inferiora oblonga in petiolis longiusculis semiteretibus marginatis, summa lanceolata sessilia. *Pedunculi* praelongi scabriusculi, superne pubescentes. *Florum capitula* hemisphaerica, fructifera paulo elevatiora. *Anthodium* serie duplici triplici, foliolis gladiato-lanceolatis flores plerumque excedentibus. Receptaculum oblongum. *Paleae* lanceolatae subpilosae basi — quasi in petiolum — angustatae germinibus et seminibus longiores. *Corollae* caeruleae quadrifidae radiantes lobo exteriore fere duplo majore lateralibus et interiore. *Semina* quadrangula, octo-sulcata, pilosa, coronata margine quadridentato et setis 4 nigris brevibus.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0542-9

Obs. Radice et habitu convenit cum *Sc. australi Wulf.* sed distincta: anthodio magno, bracteis longealatis subpedicellatis, capitulo fructifero hemisphaerico, corollis radiantibus, seminibus octosulcatis pilosis etc.

In *Sc. australi Wulf.* (*Sc. pseudo-australi Schult. Sc. repente Brign.*) anthodium floribus vix longius est, bracteae lineares, capitula fructus oblonga, corollulae subaequales, semina glabra sexsulcata etc.

Quae planta sit sub nomine *Sc. australis* descripta in *Syst. Veg. Röm. et Schult.*, cui tribuuntur flores flavi et capitula illis *S. succisae* minora, me fugit.

III. *Euphorbia rablensis Wulfen.*

Char. spec. Petalis subrotundis, capsulis papilloso-hispidis, radiis umbellae saepius tribus pedunculisque axillaribus elongatis trifidis vel subtrichotomis, involucellis rhombeo-ovatis, foliis sparsis tenuibus glabriusculis oblongo-lanceolatis obtusis plerisque serrulatis, caule tereti laevi.

Descriptio. Radix videtur perennis. Caules teretes, pedales. Folia copiosa, tenera, sessilia, serrulata, involucris conformia, oblongo-lanceolata. Etiam involucella serrulata esse solent. Pedunculi axillares et terminales longi, tenues, non raro sub umbellula folio et pedunculo axillari (secundario) aucti. Umbella trifida cum involucro triphyllo; radii trifidi vel bifidi. Involucella subtriangulo-ovata. Germina erecta, dense papillosa, spinis

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at

carnosis. Styli breves. Calyx glaber. Petala subrotunda.

Crit. Planta haec satis rara videtur. Mihi indicato nomine occurrebat in herbario *Wulfenii.* Fructibus papillosis convenit cum E. *epithymoide*, quae differt: caule villoso, foliis integerrimis, subtus villosis, radiis umbellae brevibus paucifloris etc. In E. *villosa*, *dulci*, *ambigua*, *carniolica*, *angulata*, *platyphylla* et *verrucosa* fructus sunt verrucosi, nec setis carnosis hispidi seu papillosi.

Patria: Habit. in Carinthiae superioris valle Rablensi et circa Pontebam, nec non in Styria *im Tirnaugraben bey Frohnleiten.*

IV. *Mesembryanthemum coralliforme V.*

Descript. Admodum simile est *M. uncinato L.*, sed folia dentibus carinalibus carent. Caulis erectus, ramosus, internodiis ancipitibus basi attenuatis, superioribus sensim angustioribus. Folia triquetra, compressa, laevia, acuta et spinula nutante apice instructa, connata, vix aut leviter vaginantia, pollicaria. Flos solitarius terminalis sessilis in sinu summorum foliorum. Calyx tricornis: laciniis scilicet tribus subteretibus, petalis albidis vel dilute roseis fere aequalibus — duabus submembranaceis.

Obs. Calyce quodammodo accedit ad *M insititium Willd.* hort. Ber. p. 536. n. 54. sed calyx tricornis, terminalis, sessilis, corolla alba.

Floruit et floret in horto Johannei Grazii.

Regensburgische Botanische Gesellschaft

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03545-0544-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1827

Band/Volume: 10

Autor(en)/Author(s): Schultz Karl Friedrich (Carl)

Artikel/Article: Observationes bryologicae 1177-1224